





1742, 7 89  
FACVLTATIS IVRIDICAE  
DECANVS,  
HENRICVS MELCHIOR  
SCHÜTTE, JCVTS,

MEMORATÆ NEC NON PHILOSOPHICÆ FACVLTATIS  
ASSESSOR ET PROFESSOR POLITICES PVBL.  
ORDINARIVS,

LECTORI BENEVOLO  
S. P. D.

---

ERFORDIAE,  
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.

*de ecclésiis et earum refectione.*



FACULTATIS IURIDICAE

D E C A N V S

HENRICVS MIH CENSOR

SCHUTTE ICTVS

LECTOR ET PROFESSOR IURIS  
ORDINARIVS

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

THEO. CHRISTOPHERI HERINGII  
ORDINARI







**T**empli vocem olim de paganorum delubristantum usurpatam fuisse, Christianorum contra loca congregationis Ecclesiarum nomine venisse, deinde vero & jam Theodosii junioris tempore, hæc vocabula promiscue, tanquam synonyma adhiberi cœpisse, comprobatum dederunt HORN. in additam. ad JO. SCHILTERI *Just. jur. Can. libr. 2. tit. 7. §. 1.* ac illustris de WERNHER. *Princip. jur. Eccles. Provest. c. 10. §. 1.* Describuntur autem templa, quod sint ædes Numini divino dedicatæ, & usibus humanis exemptæ. Dividitur ecclesia in *Cathedralem, Collegiatam, Conventualem, & Parochialem.* *Cathedralis* vocatur, in qua Episcopus ipse cum capitulo residet, & nomen sortita est a cathedra, quia Episcopi olim sedentes in solio & cathedra docebant, & quoties creabantur, in eo solio atque throno, velut possessionis cujusdam apprehendendæ gratia, collocari solebant. *Collegiata* canonicorum, *das Unter-Stift*, est, quæ Collegium seu capitulum quidem Canonicorum habet, sed Episcopo ecclesiæ cathedralis subest, quippe qui plures ecclesias collegiatas, tanquam filias, sub se habere solet. *Conventualis* audit, quæ solis monachis sub inspectione Abbatis destinata. Denique *Parochialis* appellatur, quæ habet  
( 2 )  
jus



jus consistens in cura animarum ipsorum parochiano-  
rum, certis limitibus constans, ipsis sacramenta mini-  
strans, & proprium habens parochum. BOEHMER. *Jur.*  
*Paroch. Sect. 3. cap. 3. §. 15. sq.* Alia porro est ecclesia *Ma-*  
*zer*, alia *Filia*. Illa præter templum proprium habet  
Parochum; hæc vero templo quidem gaudet, sed pro-  
prio parocho destituitur. Illi autem, qui nec templum  
nec Parochum habent, vulgo *Gingepfarte* nominan-  
tur. Partes templi præcipuæ sunt, Chorus, Gremium  
& Narthex. Chori nomine designatur locus, ubi alta-  
re constitutum est, quod hodie in extrema templi ver-  
sus orientem parte fieri solet. Gremium, alias quoque  
navis, comprehendit illud spatium, ubi auditores con-  
gregantur. In eo plerumque etiam suggestus depre-  
henditur, qui a concellis, quibus cingi solebat, *Ganzel*  
vocatur. Alicubi tamen etiam in Choro, imo in ipso  
altari, ejusdemque superiori parte umbo erigitur; *es*  
*geheth die Ganzel zum Altar herauf*. Græca vox Nar-  
thex, quæ proprie significat virgam, seu ferulam, de-  
notat locum ecclesiæ extremum, in quo stabant poeni-  
tentes secundi gradus, qui quasi sub ferula erant, nec  
navem ecclesiæ intrare poterant, unde hodieque locus  
peccatorum appellatur CALVOER. *Ritual. eccles. vot. Parr.*  
*2.* & LINCK. *de jur. templ. c. 5.* Primis quidem seculis,  
Christianis, ob persecutiones gentilium, templa ædifi-  
care minime licuit, sed solet eorum origo a multis ad  
seculum III. referri. Et ætate Constantini M. si usus  
eorum non introductus, saltem numerus quam maxi-  
mè multiplicatus fuit. teste EYSEBIO. *de vita Constant.*  
*L. II. c. 44.* Cum ergo ædificia suam habeant ætatem  
& durationem, necesse est, ut subindereparentur aut res-  
ficiantur.



ficiantur; ideoque nec minor cura habenda est in iis  
conservandis, quam construendis, ut eleganter ait CAS-  
SIODORVS. In genere autem reficere est, quod cor-  
ruptum & depravatum est, in pristinum statum restau-  
rare *l. 1. pr. de via publ. l. 1. §. 6. de rio*. Et quamvis in ma-  
teria servitutum hæc vox admodum stricte capiatur,  
ut res corrupta ad veterem modum & formam reduci  
debeat, ne servitutis usus sub specie refectionis extendatur,  
*l. 1. §. 11. l. 2. de rio*. Unde distinguunt inter reficere,  
facere & restituere opera. Verum in hoc argumento  
refectio ad omnes causas porrigi solet, sive ecclesia pe-  
nitus destructa, sive tantum corrupta, sive pristina for-  
ma in refectione observata, sive paulisper in majorem  
& commodiorem auditorum usum immutata fuerit.  
De personis, quibus onus reficiendi ecclesias incumbit,  
late agit, & rem omnem ex antiquitatibus explicat  
THOMASSINVS *de vet. & nov. eccles. discipl. P. 3. l. 2. c.*  
*23. sqq.* Add. GONZALEZ TELLEZ *ad c. 1. x. de eccles. aedi-*  
*fic. & rep.* Et quidem, quod ad ecclesias patronatas at-  
tinet, secundum *Concil. Tridentin. Sess. 21. de reformat. c.*  
*7.* patroni præ parochianis ad hoc onus tenentur, adeo,  
ut sub poena privationis juris patronatus ipsis hoc in-  
cumbat, vid. ALEX. SPERELL. *dec. 69. n. 10.* At Prote-  
stantes respicere solent ad ordinationes ecclesiasticas,  
quibus plerumque cautum est, quantum quilibet con-  
tribuere debeat. Hæc quandoque simpliciter hoc onus  
relinquunt parochianis. Interim tamen, cum eccle-  
siæ tales patronorum patrimonio adscribantur, & qui-  
libet dominus rem suam reficere teneatur, ecclesiæ vero  
patronatæ, nostra ætate, non oratoria privata sunt, sed  
ecclesiarum publicarum & parochialium faciem indue-  
rint,



sint, æquum videtur illustri BOEHMERO, ut patroni cum parochianis ad refectionem istam concurrant. vid. ejus *diff. de jur. & oner. reficiendi eccles.* qua inserta est ipsius *jur. Eccles. Protest. lib. 3. tit. 48.* Sed nolo huic nobili argumento diutius immorari, cum illud occasione c. 4. x. de *eccles. edificand. & reparand.* lectione cursoria, ex instituto excussurus sit

NOBILIS ATQVE CLARISSIMVS  
JVRIVM CANDIDATVS,  
JOANNES GEORGIVS  
LAMMIVS,

*Aulæ ac Regiminis Saxo-Vinariensis Advocatus  
Ordinarius.*

Nascendi felicitas illi contigit Vinariæ, quæ urbs ob sedem Ducum Saxoniae jam diu fuit celeberrima. Patrem veneratus est M. JO. HENRICVM LAMMIVM, Gymnasii illustris Wilhelmo-Ernestini, quod Vinariæ est, dum viveret, Conrectorem. Matrem colit JOANNAM DOROTHEAM, JOANNIS TITII, quondam Consulis Vinariensis, filiam. Quamquam vero pater filium adhuc tenerum præmaturis cogeretur fati deferere, mater tamen nullis pepercit impensis, ejusque sollicitudine effectum est, ut in Gymnasio patrio artes, quæ ad humanitatem pertinent, hauserit, & ad altiora præparatus fuerit, Præceptoribus imprimis usus M. JO. CHRISTOPHORO KIESEWETTERO, Rectore & postea Inspectore, itemque M. JO. MATTHIA GESNERO, tunc Conrectore, nunc vero in Academia Gœttingensi Eloquentiæ



tia ac Poeseos Professore ordinario. Inde Salanas salutavit Musas, & jactis fundamentis philosophicis, ad sacra Themidos sibi aditum patere existimavit, præclarissima hujus Athenæi lumina, LANGGVTIOS, FRISIOS, BRÜCKNEROS, SCHROETEROS, STRUVIOS, HOFMANNOS, BECKIOS, BRVNQVELLOS, DIETMAROS, atque alios, quos frequenter consuluit, admiratus. Peracto sic Studiorum stadio, patrios revisit lares, quæque ex ore Jenensium imbiberat, data per aliquot annos causis forensibus opera, Vinariae in succum ac sanguinem convertit, donec Clementia Serenissimi regentis, Patris patriæ exoptatissimi, Aulæ ac Regiminis Advocatorum ordinariorum in numero esse cœpit. In hunc modum vixit Nobilis atque Clarissimus Candidatus noster sane laudatissima ratione, ad hoc usque tempus, quo in nostram Hieranam delatus alboque academico insertus, ab ordine nostro per literas petiit, ut honorum in jure summorum adipiscendorum causa, ad consuetum examen rigorosum admitteretur. Annuimus votis honestissimis, ac profecto textus utriusque juris tanta cum facundia explicuit, ad quaesita tam promte & tam erudite respondit, ut unanimi nostro consensu honoribus, quos petiit, omnino dignum judicaverimus. Ea de causa, crastina luce, recitatione solenni, quam lectionem cursoriam vocant, in excitatum c. 4. X. de eccles. edificand. & repar. commentabitur, ac dissertationem inauguralem

OBSER.



OBSERVATIONES MISCEL-  
LAS

easdemque maxime practicas, & quæ insignem usum in  
foris præstant, exhibentem, contra dissentientium insul-  
tus mascule, & quidem sine Præside, tuebitur, iisque fini-  
tis, sperata diligentia & eruditionis legitimæ præmia, so-  
lenni ritu consequetur. Quos actus solennes, ut Magnifi-  
cus Academiae Rector, nec non reliqui Academiae Proce-  
res ac Cives, honorifica sua præsentia illustriorem ac  
splendidiorem velint reddere, & meo & ordinis nostri  
nomine, ea, qua par est, observantia & humanitate, oro  
rogoque. Publ. sub Sigillo Facult. Jurid. Dominica  
IV. Adventus A. O. R. M DCC XLII.



OBSER





ERfurt, Diss., 1742/44

ULB Halle  
005 355 400


3




W078











B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1742,7

89

FACVLTATIS IVRIDICAE  
DECANVS,  
HENRICVS MELCHIOR  
SCHÜTTE, JCVS,

MEMORATÆ NEC NON PHILOSOPHICÆ FACVLTATIS  
ASSESSOR ET PROFESSOR POLITICES PVBL.  
ORDINARIVS,

LECTORI BENEVOLO  
S. P. D.

---

ERFORDIAE,  
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.

*de ecclesiis et earum refectione.*